



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. III. Reipublicæ definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

stantibus occurri potest? Statum ergo reipublicæ ut recte monet Aristoteles lib. 4. pol. c. 1. Τὸν δὲ ὑποτάτον, eum qui esse potest, consideremus. Eumque si optimum facere non possumus, à pessimo tamen quam longissime abducamus. Alioqui si talem rempublicam unquā fuisse constaret, sperari etiam iam posset. Non omnino vanum est, quod ait Seneca Ep. 90. Meliora mundus nondum effusus dedit. Et Poeta sæculi sui os or, & cirrifer:

Vetustiora
videntur
meliora.

Aliter tunc orbe nono, caloque recenti
Vivebant homines.

Et forte Plato aliquando tam sanctam rempublicā fuisse suspicatus est; οἱ παλαιοί, inquit, κρείσσορες ἡμῶν, & ἐγγυτέρω θεῶν οἰκόντες (Pol. 2.) Prisci meliores nobis fuerunt, & propius Deos habitaverunt. De multis concessero, de pluribus nego; memini duobus fratribus, mundi hereditatem angustam fuisse, deinde orta bella Gigantum, & mox totum genus humanum relictis in semen octo animabus, haustum undis & inter hos tamen irrisorem Chamum, Bella regum ante ipsam arcam, & senem Noe; Sodomæos ignes, Chanaanæorum, Horæorumque excidia. Fuerunt igitur & tum vitia, & vitia plurima, atrociora, & nostris sceleratiora tempora; dum historiam lego, suorum quemque temporum accusatorem intelligo, laudatorem veterum, sed profecto causa est, quod mala nostra cum dolore, & metu sentimus, præterita fallendi temporis causa legimus.

Cur priscæ
laudamus.

Fugere pudor, verumq; fidesq;
In quorum subire locum si audesque, dolig.

Fugere hæc tria bona, sed inde, ubi fuere, multis nāque locis nec pudor, nec veritas, nec fides, nisi in paucis admodum fuit. De republica igitur acturus, ita rationes componam, ut statuam in ea multos esse malos, omnes autem bonos maiore in spe, ut fiant boni; principem vtriusque consulere oportere.

C A P V T III.

Reipublica definitio.

§. 1. **N**OMEN Reipublicæ latissime accipio, ut Monarchiam, Aristocratiam, & Πολιτίαν proprie dictam, seu populi regimen complectatur. Neque in latitudine imperandi, aut arcis terminis regnorum discrimen statuo. Nam & parvum oppidum Rempublicam vocare non dubito, & vnius civitatis dynastiam, regem. Græca dictio πολιτεία non eodem modo accipi consuevit, nam aliquando preste dicitur pro ea reipublicæ forma, quæ popularis est, Aristoteles lib. 4. pol. c. 8 vocat μίξιν ἀριστοκρατίας & δημοκρατίας, temperatam ex paucorum, & multitudinis dominatione. Et lib. 1. pol. c. 1. δοτὶ μὲν οὐτὶ οἰονταὶ πολιτικὸν, & βασιλικὸν, & οἰκονομικὸν, & δεσποτικὸν τὴν αὐτὴν οὐ καλῶς λέγουσι. Quis Politicum, Basilicum, Oeconomicum, & Despoticum eundem esse aiunt, non recte dicunt. Hos enim non multitudine modo, & paucitate, sed etiam specie differre existimat. Politicum, ait, qui vicissim imperat, & paret, Basilicum qui solus imperat, & non paret, aliam tamen esse ait in ipsa reipublicæ gubernatione diversitatem, atque ita dicitur πολιτεία preste sumpta. Aliis tamen locis Aristoteles pro omni Republica Politiā interpretatur. Nam libro 3. pol. c. 14. ἴσως, ὅτι καλῶς ἔχει μὲν τὸς εἰρημένους λόγους μεταβιβῆναι, & ἐκείνους ἀπὸ βασιλείας, & αὐτὸν γὰρ τὸν οὐδὲν πολλὴν μίαν τὴν ταύτην. Rectum fortasse fuerit post hanc orationem alio transire, de quo tractare. Bene enim institutarum Politiarum vnam, dicimus esse regnum. Quin ipse acceptionum differentiam discretis verbis exprestit, de moribus lib. 8.

Politia duplex
significatio.

c. 1. Πολιτεία δὲ τὸν εἶδη τρεῖς, ἴσα αἱ & παρὲς αὐτῶν, αὐτὸν φερεῖ τέτατον, εἰς δὲ αὐτὴν μὲν πολιτικὴν, βασιλείαν, & οἰκονομικήν. Τρεῖς δὲ, ἢ ἀπὸ πλεονεξίας, ἢ ἡμικρατικῶν, ἢ ἐκείνων φαίνεται, πολιτικὴν δὲ αὐτῶν εἶδους οἱ παλαιὸι καλεῖν. Politia tres sunt species, totidemque ab illis aberrationes seu corruptiones bona politie. Sunt autem politia, regnum, & optimatum gubernatio, tertia vero, quæ est ex censu, quam proprie ἡμικρατικῶν apparet appellari, hanc plurimi politiam vocare consueverunt. Duplex igitur politia est prior quæ tres species continet, & quæ trium specierum est ultima, quod monere debui, ne de verbis lis deinceps nobis intendatur. Quin & civitatis nomen sic usurpant latini. Plin. lib. 7. Regiam civitatem Aegyptii, popularem Attici, &c. Et Cicero lib. 3. de legibus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni, quem regis vitis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis mutatum, res manebit, si vnus omnibus reliquis Magistratibus imperabit.

Civitas la-
cinis quid?

§. 2. Politian igitur seu Rempublicam Aristoteles definit lib. 3. pol. c. 6. in hunc modum. Ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τῶν ἀλλῶν ἀρχῶν & μέλει τῆς κοινῆς πάντων. Politia seu Republica est civitatis ordo ac magistratuum tum aliorum, tum præcipue eius, qui omnium supremus est. Plutarch. Republica est corpus quoddam concinnatum membris; quod diuini muneris beneficio animatur, & summe æquitatis agitur nutu, regiturque quodam lumine rationis.

Politia or-
do est.

Scipio apud Ciceronem, referente S. Augustino lib. 2. de ciuit. Dei cap. 21. Rempublicam dixit esse rem populi. Populum autem non omnem cæterum multitudinis, sed cæterum iuris consensu, & utilitatis communione sociatum esse determinat. Hinc colligit, tunc esse rempublicam, id est rem populi cum bene ac iuste geritur, siue ab vno rege, siue a paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo. Populus autem continet omnes qui in republica sunt, cum enim absolute populus dicitur, etiam rex, & senatus in populo censetur. Obscura hæc est definitio. Nam ager, moenia, ætærium, porticus, aliaque sunt res populi, nec rempublicam tamen illam constituunt, sed Reipublicæ ornamenta, vel adiumenta, quin & æs alienum, similiaque detrimenta res populi sunt. Deinde populus ipse est pars Reipublicæ materialis, cum cæterus vocetur, nec populus tamē recte dicitur res populi, si vero in abstracto, ut vocant definire malis, minus erit pars Reipub. populus. Iustus Lipsius lib. 2. c. 1. Vitam civilem definit, quam in hominum societate mixti degimus, ad mutua commoda sine vsu. Eius rectores nominat prudentiam & virtutem, recte sane ne commoda, & vsus, ad solam utilitatem & iucunditatem, sed præcipue ad honestatem referantur, has ego definitiones verbis magis, quam sententia discrepare arbitror quia autem non Stoicis, aut Spartiatis, sed politicis, & populo scribo, visum est mihi definitionem quæ omnes causas contineat, eamque in concreto, ut facile percipiatur, dare. Est igitur Republica hominum cæterus, iuris consensu, & utilitatis communione ad bene beateque viuendum naturæ ductu sociatus.

Republica
est res po-
puli.

§. 3. Causa efficiens est naturæ ductus quidam & instinctus à Deo infusus, ideo & Deus causa est, quæ enim à natura, & in natura sunt ad Deum referuntur. Quapropter recte coneludit Aristoteles, αὐτὸν πᾶσι πῶς οὖς ἐστὶ. Ideo omnis civitas natura est. Et polit. 1. cap. 2. Ex his igitur constat, civitatem in iis rebus quæ natura constant, numerandam esse, & hominem civile animal esse naturæ, & eum qui naturæ impulsu, non fortuna culpa civitatis sit expers, aut esse improbum, aut hominem meliorem, ut is, in quem ab Homero hoc maledictum coniectum est.

Republica
secundum
naturā est.

Ἀφῆτορ, ὁ δέμει, ἀνέστορ.
Sine curia, sine iure, sine lare.

Qui

CAPVT IV.

Causa materialis Reipublice.

§. 1. **R**еспублика ex pagis seu vicis componitur, vici ex domibus, domus ex coniugibus, ita natura & experientia nos edocet.

Tria autem hominum genera ad Rempublicam necessaria sunt, Agricola, artifices, milites. Socrates agricolas, magistratus, & milites requirit. Verum potest esse Respublica, in qua magistratus sit ex agricolis; nam & ab aratro vocatus est ad dictaturam Cincinnatus, & post victoriam ius suum exercuit triumphalis agricola, & Regulus cum rem optime in Africa gereret, populum Romanum agelli sui cultorem habuit, ne ex medio cursu victoriarum ad tenue rusculum auocaretur. Possunt igitur esse in magistratu agricolae, iidemque artifices, & milites. Sed tamen diuersa ratio est: Magistratibus opus est paucis, satis enim est si centesimus quisque praestit, artificum & militum necessaria est copia, itaque hos ab agricolis diuersos esse fere necesse est, cum procul domo milites frequenter agere oporteat, & incerta sint temporum momenta, quis hostis repellendus, aut petendus est.

§. 2. Neque modo illa differentia in constitutis rebus publicis, sed in barbaris etiam requiritur; nam & Garamantes qui sine magistratu vivebant, & nunc Brasiliae, & Floridae habitatores, munia militibus, & agricolis diuidunt, artificibus vero, ut pote nudi, clauis, & arcibus armati vix egent. Nec recte veteres Rempublicam ex similibus coalescere censuerunt, quo enim maior est varietas munerum, laborum, artium, statuum, eo est respublica copiosior, atque instructior. Accurate hoc Aristoteles, ut caetera perpendit, l. 2. pol. c. 2. cum ait; non modo ex pluribus hominibus esse ciuitatem, sed ex specie differentibus, non enim potest esse ex similibus; aliud enim est ciuitas, aliud symmachia, & belli Societas, plurium enim ciuitatum auxilia vnum exercitum conficiunt, ex eodem hominum genere. Sed de varietate hominum in ciuitate dicam suo loco.

§. 3. Cum vero Aristoteles ciuitatem definiat tam numerosa, & instructa ex pagis compositione, ut habeat *ἀνταρκτικόν*, culmen abundantiae, & quasi sibi sufficiens cornu copiae, quo ex se sibi sufficiat, non immerito a prudentibus quaeritur, de quam *ἀνταρκτικόν*, aut sufficientia intelligendus esse videatur. Si enim de rebus ad victum, vestitum, defensionem, offensionemque necessariis loquitur, nusquam eiusmodi Respublica ostenderetur; voluit enim Deus propter Societatis humanae conseruationem, aliorum hominum ope alios indigere. Regna quaedam sibi ea ratione suffecerint, ut Aegyptus, Italia, ciuitates nequaquam, ne dura quidem sobrietatis cultrix Sparta; Remiges enim, pecuniam, machinas aliunde petere eam oportebat, hoc vero tempore potentissimas, & celeberrimas vrbes vel maxime alienis praesidiis egere cernimus. Neque satis rem declarauerit, si quis eam ciuitatem appellet, quae aut ipsa ex se sufficientiam habeat, aut ad eam acquirendam idoneas vires, & facultates. Hoc enim & diuites familiae possunt, & multo magis pagi, alia ergo sufficientia quaerenda, qua ciuitas seu Respublica constituatur, non enim opibus, nec hominum multitudine, nec muneribus a pagis Respublicae distinguantur, cum Sparta paupertate claruerit, nec supra duo ciuium millia censerit, nec muneribus se munierit, multis tamen opulentissimis vrbus imo toti Graeciae, ipsisque adeo *μεγαλοπόλεον ἢ διὰ τὸν μέγαν* magni vrbus Athenis, multis annis imperauerit. A *ἰσχυρία* igitur siue sufficientia ex vicorum coniunctione coalitam definitio, cum gens aliqua,

aut

Qui socialem naturam exuerunt, vix homines sunt.

Seruum habentia cura.

Qui igitur *μὴ κοινωνοὶ*, hominumque ofores fuerunt, magnitudine vitiorum naturalem *σοφίαν*, affectumque obruerunt, qualis græculus ille Timon, & Tyranni, qui omnem populum habere vnam ceruicem optabant, qui se flagellum Dei nominarunt, qui hostem occisum bene olere, melius ciuem putarunt. Causa materialis est, hominum cætus. Plebs, senatores, nobiles, principes, reges. Seruos autem excludo, neque enim pars sunt respublicae, sed organa, & instrumenta quaedam animata; quia tamen & illi homines sunt, & homines sæpe dominis suis praestantiores, eorum quoque curam respublica suscipiet, & contra crudeles, atque iniuriosos dominos tuebitur.

§. 4. Forma est ratio iuris in quod populus consensit, hoc est, ordo imperantium atque parentum imperio, neque forma triplex respublica consurgit. Quo etiam ex loco apparet, cum consensus ille deest, non esse Rempublicam, sed alium aliquem cætum, ut pote seruorum in potestate domini alicuius viuientium. Itaque Turcarum imperator Rempublicam proprie dictam non habet: cum enim in subditos, adeoque supremos belli duces habeat absolutum ius vitae, & necis, cum omnes praedicent facultates suas omnes, seque ipsos mancipio magni imperatoris addictos, illudque ius maius sit, atque impotentius quam olim fuerit dominorum in seruos, non est hic aliud regimen, quam *δεσποτικόν*, nullo modo ciuile, ciuitates enim quamuis habeat, non tamen regit eas iure ciuium, sed absoluto dominationis arbitrio, nihil aliud igitur magna illa ciuitates sunt, quam capaciora quadam ergastula; magni autem Bassae, & Beglerbeii quasi athenienses quidam serui, ad nutum domini nullo legum, aut iuris praesidio morturi.

Finis Reip. beata vita.

§. 5. Finis est bene beateque viuere. Hoc ita Aristoteles explicuit. Perfecta autem Societas ex pluribus vicis constat, ciuitas est, quae terminum habet omnis *ἀνταρκτικόν*, quae scilicet sibi sufficit omnino, & perfecte. Oriens quidem viuendi causa, constans autem & perseverans bene viuendi causa. Finis autem omnium est beatitudo, quae cum in virtute collocatur, bonam Rempublicam efficit, cum in voluptate, diuitiis, honoribus quaeritur, Respublica quidem fuerit, sed vitiosa, inquietata, brevis, & dum falsam felicitatem persequitur, veris se calamitatibus inuoluet. Audire hac in re iuuat seruum sapientem.

Bona vita Reipubl. necessaria.

Quid id quod vidisti, ut munitum muro tibi visu sit oppidum,

P. Si incolae bene sunt morati, pulchre munitum arbitror. Persidia, & peculatus ex vrbe, & auaritia sexulant; Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obretractio, Septimum periurium. S. Euge. P. octaua indiligentia, Nona iniuria, decimum, quod pessimum aggressu, scelus. Nec nisi inde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.

Consignabo hoc sententia Platonis. *ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα οἷον, βασιλεία, τυραννίς, πολιτεία, δικονομία, δεσποτία, οὐδὲν δικάει, καὶ μὴ τέρπει ἐπὶ βασιλείᾳ, τυραννίδι, πολιτείᾳ, δεσποτίᾳ, οὐδὲν οὐκ ἐπὶ δικονομίᾳ, οὐδὲν οὐκ ἐπὶ δεσποτίᾳ.* Idem igitur ut videtur sunt, Rex, tyrannus, politicus, oeconomicus, dominus, temperans, & iustus, & vnica ars est, regia, tyrannica, politica, dominans, oeconomica, iustitia, & temperantia. Vno verbo. Magna arte Rempublicam gerit, qui temperanter & iuste vivit, & imperat.